

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 21.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos*

Cosmo I. Medicæo. Magno Hetruriæ Duof.
Ex Mundo Sublunari.

Elysium-Meum.-Die Martis 11 April. 1809. (Neov. 24. Mart. 1809)

Scientiæ, artes, nostra Cultura mentis, quævis sublimes notiones, doctrinæ & utiles inventiones, Tibi, ceu uberrimi largissimique beatitudinis fontes, Tibi inquam Magne Cosme debentur, ex tua sed. Florentia, radii scientiarum in nos Europæos emanaverunt, tu tenebras dissipasti, tu facem accendisti, ardentem præ & circumtulisti. Superi! quid non unus homo efficere valet! non gladio, non armis & catapultis, sed divina mentis gutta! —

Non Græci Philosophi mentes ad bonum, ad utile, ad elegans, & pulcrum deduxere — quam lepidas cœvis suis doctrinas pro concione proposuere! Opulentus Callias contendebat: a se hominum genus ad Justitiam duci, Crumenam manu tenens; an, quæso, justiores effecit? luxuriæ mancipia evaserunt. Contrariam sententiam propugnabat Charmides: vigeat, vociferabat is: vigeat paupertas! mendici vera naturæ proles sunt, egestas no-

verca est divitum, omnia his displicent, continuo molliores redduntur; stratum meum durum est, at ei insvevi, non opto mollius; famem tolero, at adpetitum cibi retineo; vinum non bibo, at Cyathus aquæ bitim meam sedando, majore me voluptate replet, quam Rhæticum sitientis guttur Crœsi.

Dum Phœnix moralium Philosophorum Socrates contendit: pulcrum solum justos homines efficiendo esse; reponit audacter ei formosus Criobulus, eum fœdissimum mortalium esse, quippe vultu abominabili, naso resimo, Corpore ineleganti pollere; quidquid obversum adstruat divinus Philosophus: pulcrum cuivis homini inesse; in quovis reperi, nasum resimum aptiorem esse hauriendæ sublimiori auræ, contra: aquilinarem terrenas solum exhalationes insugendo esse; nihil juvat subtile hoc ratiocinium; quævis virgò formoso Cleobulo magis, quam obtusi nasi Socrati fautura est.

Quod si exurgeret Philosophus alter Xenophon, meliora nobis tempora prænuncians, eorum hæc, quæ vivimus temporum adjuncta objicere possemus; instans bellum, iterum iterumque ac iterum bellum ob oculos, mentem ponere, quod quæso medium justos nos efficiendi suggeret. — O magne Cosme! sic se habent philosophica somnia!

Dicito obsecro, dicito Cosme! Philosophorum in Campis Elysiis Choro; dignentur aliquod nobis medium suppeditare, ad nos in secundis juxta & adversis oblectatio-

pe quadam animi adficiendos, ad tranquillitatem animis potius procurandam, ad oblectationem per firmam mentis in aliud objectum afflictionem accersendam, ad tutos nos a metu futurorum præstandos; id solum ad hæc genus nos a noëstis portentis custodire, nos animosque oblectare nostros, nos ad obsequium deducendo est, secus in melancholiam de lab, adversus quam mens nostra nequidquam valet, deberemus, quæ nos demum sensusque nostros obturat, obtundit, & callo obducit. De oblectatione & distractione mentis secundum Celeb. Meisterum quædam adnotare lubet: Triplex datur modus arcendi mentis dissipationem; tranquillitas solidi, temeritatis pleni Characteris — vis profundæ meditationis — fortassis plus his, absolutum imperium vehementis & potentis affectus.

De primo animi statu luculentum nobis exemplum præbent verba Caroli XII. ad suum a secretis ministrum, occasione bombardæ jactus, ædibus ruinam minantis; ad enormem strepitum scribentis manu stilus excidit, quid est rogat rex animo intrepido & tranquillo, at ille tremula voce velut fulmine ictus balbutiens: O! princeps! — Bombarda — hui! reponit is, quid Bombardæ negotii cum litteris, quas tibi dicto? prosequere opus.

Non minoris attentionis, argumentumque vis profundæ meditationis est: notus Casus Archimedis occasione obsidionis Syracusarum totum se solvendis problematis de-

diti, adeoque abrepti, ut nulla re mens ejus dissipari possit, nec ipse quidem tumultus assultu occupatæ & direptionibus furentis militis patentis urbis; eodem quo formas mathematicas exarabat, tranquillo animo, irruenti ad se Romano militi agebat: O miles! noli Circulos meos turbare!

Verum multo magis animadversione dignum prioribus exemplis factum cujusdam religiosi viri. Testis omni exceptione major Celebris Philosophus *Diderot* plus vice simpliciter hoc mihi Anecdota memorabat:

Bono monacho videlicet Calculus e vesica excidendus erat; cum vero prævideretur: Chirurgicam operationem, & diuturnam, & difficilem & doloris plenam, nec periculi expertem futuram, ad corporis certam immobilitatem obtinendam consilium ei datum: ut artus, costas & brachia prehendi sineret, hoc ille negavit, Calleo, inquit ad fratrem religiosum Cosmum, me summe sensilem esse, at porrige, sis, Crucifixum meum, & caveo de omni tremore."

Quid factu opus? mos pio petito gerendus erat, & ecce! dum sacram Salvatoris sui de ligno Crucis pendentis imaginem pectori identidem apprimat, tam intima profunda que extasi mentis corripitur & abripitur, ut onnis doloris expertis videretur; cumque peracta feliciter operatio ei indicaretur in vultu ejus liquidissimus index fiduciæ, adorationis, grati animi & amoris legebatur.

Hujus submissionis monachi portio nobis in hoc miserabilis vitæ stadio decurrentibus usum præstare posset, quam ea sæpenumero nobis prospere cederet! expendamus quæso Cæsaraugustam!

Obsidio Cæsaraugustæ in historia Bel-
lorum sublunarium Epocham constituit. Ad
præsens Cuniculorum usus tantum erat ad-
versus munimenta proprie dicta, rumorque
Gallos ibidem singulas plateas cuniculis sub-
ivisse speciem fabulæ redolebat, verum ter-
rificæ bellæ gerendi ars in nullo suo ramo in-
cultâ relinquenda videtur; quanta in perfo-
diendo dexteritas, quam ad regulas exacta
pulveris nitrati in portioas dimensio, ut
sedes, quarum robur accurate definiri nequi-
bat, succutiantur, aut evertantur; obsiden-
tes vero ipsi, quibus tamen procul recedere
non licuit, sub ruinis a se excitatis ne se-
peliantur! quippe impleturæ sæpe admodum
notabiles erant, 1000 usque 3000 libras con-
stituebant; una solum vice globus ignitus
(Petardam vocant) effectum nimium edebat,
domus, quam effringere debuisset, corruit.
In hoc igitur negotio Geometræ Galli plus
præstiterunt, quam omnes hujus artis magi-
stri, plus, quam præprimis popularis eorum
Cel. *Letevre* Anno 1762 occasione celebratæ
a conatibus Cuniculariorum obsidionis Schweid-
nitz, Merebat is in exercitu Borussico, con-
siliiumque habuit, Præfectum arcis Austria-
cum Gribauval, quocum ernditam controver-
siam de interapedine temporis, qua fortali-

tum quoddam se defendendo sit, habebat fœdus
 refutandi, quapropter structura Cuniculorum,
 præprimis Globorum ita dictorum Compres-
 sionis ope intra 4 hebdomades ad deditionem
 adigere conabatur; at irritus omnis erat co-
 natus; obsidio septem hebdomades durabat,
 tormentorum applicatio, & ejectio pulvera-
 riæ penus plurimum ad deditionem contulit,
 quamquam apte applicatus globus compres-
 sionis insignem effectum præstaret; urbs im-
 manem jacturam passa perictus tormentorum
 fermeque in lapideam struem conversa est.
 Quantum desolationis horrorem non debet
 excisa & pedetentim e sinu terræ ceu per ter-
 ramotum e fundamentis suis quodammodo
 ejecta Cæsaraugusta, quam lugubre & terri-
 ficum oculis spectaculum non debet objicere?
 M. Turius Camillus expugnauerat olim ope
 structorum cuniculorum firmos Vejos quidem,
 cum Cohors Romana per eps occulte ad me-
 dium arcis penetraret, perque subitaneum
 adventum reliquis adgressionem in moenibus
 faciliorem redderet; at Cæsaraugusta primum
 præbet exemplum urbis continua & partiali
 suffosione expugnata. In argumento constan-
 tiæ hosti interiora vallorum jamjam subuenti
 singulares partes pertinaci ausu ambiguas red-
 dendi, atque in hoc conatu perniciem repe-
 riendi jam infelices præcessores nata est, quo-
 rum Carthago & Jerosolimæ celebritate
 præstant.

H i s p a n i a.

Madrito 10. Martii. Sub hesterno seqv.
 Decretum Regium emanavit: Expenso eo:
 Quod religiosi Utr. sexus ordines in Conven-
 tibus abolitis, quam & qui per bellicos even-
 tus dispersi a suis monasteriis remoti existant,
 tranquillius commodiusque in retentis ordinis
 sui ædibus vivere, atque in iis ab omni stre-
 pitu remoti vitæ conditioni suæ magis, quam
 in privatis domibus satisfacere possint, prout
 & publica tranquillitas eorum in monasteria
 reditum depõscat, decrevimus & decernimus
 seqv. 1mo Generales Ordinum, Vicarii, Pro-
 vinciales, atque universi Prælati in prov. Bur-
 gos, & quavis Hispaniæ parte abolitorum Cæ-
 nobiorum quosvis religiosos Utr. sexus eo in-
 viandõs habent, ut provisorie ad monasteria
 sui ordinis se conferant, iisque necessarias
 ad eum finem parentales & Invitatorias ex-
 tradari curent, una monasteriorum superio-
 res ad custodiam hujus dispositionis adstrin-
 gant. 2do Ut præsens Decretum absque mo-
 ra & plene effectui detur, memorati Coenobio-
 rum Superiores ministrum nostrum negotiorum
 ecclès. medio Generalium localium Collecto-
 rum tam de numero religiosorum, quos repe-
 tere Claustum jussèrunt, cum adnotatione
 nominis & loci morationis de præsentibus, quam
 de iis, quorum domicilium de præsentibus eos
 latet, edocendum habent, ut ad relationem
 ministri nostri necessaria ulteriora disponere
 valeamus.

BIOGRAPHIA

Cosmus I M. Dux Hetruriæ ex domo Medicæa, partes Caroli V. secutus, postquam incassum neutri belligerantium parti adherere adnissus fuisset. Hic Imperator eum præmio adfecit Ducatus Tusciæ Plumbiacensem Insulam Elbam aliæque Dominia adjiciendo. Paullopost a Pio IV. R. P. titulum M. Ducis adeptus, per quem si statisset, cum nimium ei studuerit, profecto & Regio diademate condecoratus fuisset, at omnes Italiæ principes huic consilio intercesserunt.

Scientiæ in eo fervidum protectorem natus. Ambitione ductus alterum Cæsarium æmulandi amore favoreque ejus exemplo Musas complectebatur, Eruditos ad aulam accievit, iisque Pisanum Athenæum erexit. Non minore sapientia quam gloria nominis regnavit. Anno aet. 55 supremum diem obiit 1547. Anno 1526. militarem Equestrem ordinem S. Stephani fundavit. Filius ejus Franciscus Maria anno 1587 mortuus, qui Mariam de Medicis Henrici Magni Gall. Regis uxorem, & Ferd. I. anno 1608 denatum, genuit.
